


Brevis et summaria designatio eorum quae ...



Tryck // / I 25 B 14 c Br. 1682 Fol. Designatio.

Tillkomstår 1682.

Digitaliserad år 2019



National Library
of Sweden

N^o 30.

1682.

Hist.
Nouvel
Poiss.
(Pr.)
1682
Fol.

BREVIS ET SUMMARIA
DESIGNATIO
 EORUM QUÆ EX PARTE GALLIÆ
IN S. R. I. CIRCULO BURGUN-
DICO CONTRA EXPRESSISSIMAS
 TRACTATUUM PACIS LEGES A PACE
 NOVIOMAGENSI FUERE OCCUPATA.

Handwritten marginal note:
L'indication de la page 24





In Provinciâ sive Ducatu Luxemburgensi.



Regio illa quæ jam sub Ducatus Luxemburgensis nomine comprehenditur, olim Comitibus Arduennæ majori ex parte subdita, primùm ab An. 963. a Sigefrido Comite Arduennæ titulo Comitatus Luxemburgensis cognita fuit, postquam castrum Luxemburgense permutationis titulo acquisivisset; Comitatus itaque Luxemburgensis longâ successorum serie ad Henricum VII. Imperatorem Comitem Luxemburgensem, ab hoc ad filium Johannem Bohemiæ Regem pervenit.

Huic successit Venceslaus filius Caroli quarti Imperatoris frater, a quo An. 1354. ex Comite Dux creatus est; indeque Ducatus Luxemburgensis titulus. Ita ut Duces Luxemburgenses Ducatum cum omnibus pertinentiis suis expressis, *ab Imperatoribus & Regibus Romanis quoties opportunum fuerit debita solemnitatis honore cum Vexillis ut moris est, & solita reverentiâ suscipere deberent &c.*

Ab hoc ad Neptem Elisabetham ex Venceslai Augusti Fratris Joanne Gorlicæ Ducis, sive Lusatiæ Filiam, Antonio Burgundiæ Duci nubenti in dotem translatus fuit, inde ad Philippum Bonum Burgundiæ Ducem, & extincto apud Nanceium ejus Filio Carolo, ad unicam Filiam Mariam Burgundicam Maximiliani primi Imperatoris Uxorem, omnium Burgundicarum ditionum unicam hæredem pervenit: Justoque inde titulo ad Philippum Castellæ Regem. ex hoc ad Carolum V. indeque legitimâ successione ad Carolum II. Hispaniarum Regem Burgundiæ Ducem transiit Ducatus, nulli unquam Regi Galliæ quavis obligatione adstrictus.

Provincia illa Ducatu Juliacensi, Archiepiscopatu-Trevirensi, ducatus Lotharingiæ & Barrensi, Comitatu Namurcensi, Diocœsi Leodiensi & Ducatu Limburgensi concluditur, quæ non exiguam Circuli Burgundici ex transactione Augustanâ, & Recessu Comitiorum Imperij S. *Nachdem dann* 67. partem constituit.

Nihil etiam illi hætenus decessit nisi quod specialiter art. 41. tractatus pacis pyrenææ expressum est. Aquisgranensi, nullius omnino cessionis ibidem ne verbo facta est mentio, sicut etiam ne vel solo apice de quacumque alicujus in illa provinciâ Loci cessionis meminit Instrumentum pacis Noviomagensis.

Hinc sine ullius Justi tituli specie provincia membratim vario prætextu occupata, tota tandem dominatui gallico tempore pacis subdita fuit, solaque Metropolis Luxemburgum undequaque circumdata tanquam unicum propugnaculum immensis sumptibus & periculis hætenus propugnando Imperio contra quævis memorialibus 11. Septembris 1681. 2. Januarij & 24. Martij 1682. præsentatis, expressa molimina, ingenti difficultate servatum fuit. Et ne forte regionum illarum ignari, nescio quibus persuasionibus ad noxiam credulitatem seducantur, ac si connivendum esset, si pauca ab Imperio distraherentur, modo reliqua servarentur: non abs re visum fuit, ereptorum tempore pacis in Circulo Burgundico Dominiorum designationem exprimere, quæ salva ulteriori notitiâ ac circumstantiarum expressione sequentibus constat.

Advertendum tamen est bipartitam esse provinciam, parte illâ quæ orientem spectat, incolas & metropolim germanico, alteram Burgundico uti Idiomate. Quæ primâ in parte occupatæ sunt, hæc fere continentur.

Primo

Primo Castrum de <i>Rodemacheren</i> cum oppido, feudum est à Comitibus, postea ducibus Luxemburgensibus recognitum ab An. 1302, 1314, 1532, 1562, 1605, & aliis sequentibus cum pagis	-- -- -- -- --	20.
Vetus castrum <i>Hespringen</i> etiam simile feudum, pro ut constat ex Investituris ab An. 1532, 1562, 1605, cum pagis	-- -- -- -- --	4.
Castrum & Dominium <i>Kollingen</i> sive <i>Raville</i> feudum agnitum Anno 1323, 1461, 1546, 1548, 1570, 1572, & aliis recentioribus litteris Investiturarum cum pagis adjacentibus	-- -- -- -- --	17.
Castrum & Comitatus <i>Ruttig</i> sive <i>Russi</i> in feudum recognitum Anno 1270, 1287, 1304, 1563, 1624. &c. cum pagis	-- -- -- -- --	11.
Castrum & dominium <i>Puttlingen</i> recognitum à Comitibus & Ducibus Luxemburgensibus jam ab An. 1398, 1551, 1574, &c. cum pagis	-- -- -- -- --	15.
Castrum & Dominium <i>Preisch</i> etiam agnitum a Ducibus Luxemburgensibus constat ex litteris Investiturarum ab annis 1562, 1597, 1624, cum pagis & Villis	-- -- -- -- --	4.
Præfectura sive <i>Probstey</i> Luxemburgensis ducatus Luxemburgensi immediatè subiecta, ejusq; pars indubitata semper fuit, cujus tribunal in ipsâ Civitate Luxemburgensi Justitiam administrat, patet ex titulis de annis 1552, 1533, 1604, 1656, & 1659. ei subsunt pagi	-- -- -- -- --	71.
Præter hos triginta quinque pagi, quæ ejusdem Præfecturæ Jurisdictionem agnoscunt	-- -- -- -- --	35.
Oppidum & satrapia vulgo <i>Meyeren Remich</i> / antiquum Comitum Luxemburgensium patrimonium, & ab ipsis possessum jam ante annum 1229, & ad hæc usq; tempora. Nemini quam ipsis ullo titulo subiectum cum pagis & Villis	-- -- -- -- --	20.
Dominium sive <i>Landrichteren Grâffenmachern eorundem</i> Comitum postea ducum Luxemburgensium patrimonium cum omni supremi Domini Jure, pro ut patet ex actis de annis 1251, 1271, 1252, 1327, 1357. & aliis cum pagis	-- -- -- -- --	24.
Oppidum & Præfectura <i>Echternach</i> possessa a primis Comitibus, deinde ducibus Luxemburgensibus, cum omni Jurisdictione & superioritate subdita, ut constat titulis authenticis de annis 1277, 1398, & aliis, ei annumerantur pagi & Villæ	-- -- -- -- --	33.
Oppidum cum præpositura <i>Bitburg</i> possessum jam tuam a Sigefrido primo Comite. Ab hoc obtigit possessoribus Comitibus & ducibus Luxemburgensibus, cum pleno dominio & superioritate pro ut ex actis de Anno 1359, 1240, 1398. &c. Videre est, complectitur oppidum de <i>Dudeldorff</i> & pagos	-- -- -- -- --	34.
Oppidum & Præpositura de <i>Dieckrich</i> hæreditaria Comitibus & ducibus Luxemburgensibus, patet ex actis annorum 1221, 1400, & continet pagos & Villas	-- -- -- -- --	25.
Urbs & præpositura <i>Arlunensis Marchionatus</i> obtigit familiæ Comitum Luxemburgensium a pluribus seculis, ab eaq; hæreditarie possessa cum omni supremi domini & feudalitatis Jure, pro ut ex actis de annis 1101, 1106, 1214. complectitur pagos & Villas	-- -- -- -- --	119.
Comitatus Viandensis <i>Vianden</i> feudum receptum a Comitibus Luxemburgensibus. Inter cætera relivia patet ex actis de An. 1264, 1270, 1306, & sequentibus ad hæc usq; tempora, consistit in castro, oppido, pagis & Villis	-- -- -- -- --	49.
Territorium & dominium <i>St. Veith</i> / vetus feudum ducatus Luxemburgensis. Constat ex transactione de An. 1253, ex reliviis 1306, 1380, &c. complectitur oppidum & pagos	-- -- -- -- --	47.
		Domi

- Dominium **Munster** avitum Comitum Luxemburgensium patrimonium, constat
 extitulis de An. 1080, 1083, 1225, 1398, 1432, 1486, 1531, cum pagis &
 Villis -- -- -- -- -- 24.
- Dominium **St. Johansberg** feudum immediatum Comitum & ducum Luxem-
 burgensium, patet ex reliviis de An. 1563, 1573, 1600, & 1624. cum castro
 veteri diruto & pagis -- -- -- -- -- 4.
- Castra & Dominia **Diefferdingen** & **Zoluern** etiam feuda Comitum & ducum
 Luxemburgensium, pro ut huic feudo annexum fuit dominium **Hupperdingen** /
 An. 1281. etiam recognitum An. 1311.
- Dominium **Arloncourt** possessum a Domino in **Pittingen** / An. 1311. cum eadem
 obligatione feudalitatis & sic recognitum An. 1570. habet pagos -- -- 3.
- Dominium de **Meynsenburg** quod ejus possessores receperunt a Comitibus & Ducibus
 Luxemburgensibus annis 1237, 1398, 1532, 1547, 1556, & 1624, constat
 pagis & Villis -- -- -- -- -- 15.
- Castrum & dominium **Fischbach** / hujus possessores præstiterunt Juramentum fide-
 litatis Comitatus Luxemburgensi jam An. 1398, & de immediata illius subjectioni
 dicto Comitatus & nunc Ducatus Luxemburgensi testantur acta de annis
 1407, 1409, 1581, 1628. &c. constat pagis -- -- -- 3.
- Castrum & Dominium **Linsier** feudum Luxemburgense, fidem faciunt litteræ ob-
 ligationis ab An. 1236, relivium de 1230, 1398, 1547, & 1556, ei annumerantur
 pagi & Villæ -- -- -- -- -- 9.
- Castrum & dominium **Heffingen** etiam feudum immediatum ejusdem duca-
 tus apparet ex recognitione de An. 1563.
- Dominium **zur Welsz** cujus possessores fuerunt a multis sæculis feudatarii supradicti
 ducatus, & recognoverunt ut tale annis 1546, 1563, 1570, 1600, & 1621.
 constabat ex Castro nunc diruto & pagis -- -- -- -- -- 15.
- Dominium **Heringen** ab antiquo in feudum agnitum, quod variis constat titu-
 lis inter alios ab An. 1570.
- Castrum & Dominium **Beffort** immediatum feudum ducatus Luxemburgensis, pa-
 tet ex recognitionibus de annis 1398, 1478, 1506 & 1621 dominatur
 pagis -- -- -- -- -- 11.
- Castrum & Dominium **Berburg** vetus feudum ejusdem ducatus, apparet ex litteris
 recognitionis de An. 1238, 1563, 1573, 1600, & aliis cum pagis -- -- 11.
- Dominium **Herbern** & **Mompach** feudum agnitum a Duce Luxemburgensi
 ab Anno 1451.
- Castrum & Dominium **Reulandt** / de cujus feudalitate apparet per litteras vendi-
 tionis & recognitionis de annis 1327, 1384, 1549, comprehendit pagos 15.
- Castrum & dominium **Uhren** / hujus possessor fidem præstitit duci Venceslao cum
 cæteris Vasallis jam ab An. 1398, continet pagos -- -- -- 6.
- Castrum & dominium **Elerff** feudum Luxemburgense, apparet per instrumentum
 agnitionis præstitum An. 1398, & cæteris, habet pagos cum Villis -- -- 44
- Castrum & Comitatus **Wilsz** recognitum eodem An. 1398, & aliis recentioribus.
 complectitur pagos & Villas -- -- -- -- -- 23.
- Castrum & dominium **Esch** / cujus subjectionem agnoverunt ejus possessores Anno
 1230, 1270, 1306, 1506, 1551, 1624, & 1398, cum cæteris provinciæ Vasallis.
 Item 1402. cum pagis -- -- -- -- -- 9.
- Castrum & dominium **Burscheidt** apparet quod fuerit semper feudum ligium duca-
 tus Luxemburgensis per actus recognitionis ab An. 1233, 1317, 1398, 1551,
 1624, cum pagis -- -- -- -- -- 12.

Oppidum castrum, & dominium de Neurburg feudum antiquissimum ducatus Luxemburgensis, uti agnoverunt ejus possessores annis 1257, 1270, 1306, 1549, 1551, & 1598, & cum cæteris ducatus Vasallis An. 1398, complectitur hoc dominium pagos & Villas	52.
Castrum & dominium de Brandenburg feudum Luxemburgense recognitum An. 1270, 1306, 1398, &c.	
Castrum & dominium Kayl de ejus recognitione docet titulus de An. 1449, 1357, 1378, 1482, & 1624, habet pagos	2.
Castrum & dominium Falckenstein etiam Vetus feudum Luxemburgense apparet ex recognitionibus de annis 1270, 1451, & 1624. Subsunt pagi	3.
Castrum & dominium Bettingen hujus possessores se feudatarios declararunt Anno 1398, & in feudum agnoverunt An. 1451, 1624, cum pagis	9.
Castrum & dominium Hamm feudum concessum Gerardo ab Hamm a Duce Luxemburgensi An. 1334. & recognitum An. 1398. & seq. annumerantur pagi	4.
Dominium Bruch apparet de ejus feudalitate ex litteris de An. 1374, 1398, comprehendit pagos	12.
Dominium Malberg quod possessores receperunt in feudum An. 1308, fidelitatem cum cæteris addixerunt An. 1398. habet pagos	3.
Dominium Rosport fuit recognitum An. 1303, cum pagis	6.
Castrum & dominium Sieuenborn feudum indubitatum Ducatus Luxemburgensis patet ex relivio ab An. 1233 cum pagis	10.
Dominium Körrig cum castro receptum An. 1314, 1400, 1617, cum pagis	5.
Dominium Elster cum castro apparet de ejus subjectione ex actis de Anno 1223, 1270, 1398, cum pagis	7.
Dominium Liseldingen cum castro feudum ducatus Luxemburgensis. ab eodem recognitum An. 1298, 1292, 1532, 1562, & 1605, dominatur pagis	17.
Castrum & dominium de Sirsch feudum antiquum provinciæ Luxemburgensis recognitum An. 1556. componitur ex pagis	15.
Dominium Wiltigen & Cansen feudum receptum An. 1320, 1450, &c.	
Oppidum Castrum & Dominium Schleiden feudum immediate recognoscens ducatum Luxemburgensem apparet ex litteris recognitionis de annis 1270, 1344, 1549, 1551, & 1576, 1680 & alias, & transactione Carolinâ ut vocant de An. 1546, comprehendit pagos	36.
Castrum oppidum & dominium de Tronenburg etiam immediatè dependens a duce Luxemburgensi, patet ex litteris de annis 1293, 1306, 1318, 1549, 1551, & 1593. Item per supradictam transactionem cum pagis	13.
Dominium & castrum de Manderscheid cum pagis dependentibus, antiquum feudum Luxemburgense, uti docent eadem transactio de An. 1546. & relivia de annis 1343, 1419, 1551, 1624, & alia.	
Feuda ejusdem ducatus etiam sunt Castrum & Dominium Schönfels cum pagis	2.
Satrapia de Thommen	22.
Castrum & Dominium Moerstorff	3.
Castrum & Dominium Stolzenburg	2.
Dominium Sterpenich	5.
Castrum & Dominium Daagsburg cum pagis & Villis	34.
Castrum & dominium Sinsfeldt cum pagis	6.
Dominium Scharffbillig cum pagis	12.
Castrum & dominium Densborn & Dom cum pagis	4.

Dominium Mehr & Bettenfeldt.
 Castrum & Dominium Ewerlingen cum pagis
 Castrum & Dominium Schüttburg.

9.

In parte illâ provinciæ quæ Burgundico utitur
 Idiomate occupata fuerunt.

- C**astrum & territorium de *Agimont* cum oppido *Giuet* ad utramque Mosæ ripam cum pagis plurimis per antiquum feudum ducum Luxemburgensium.
 Dominia de *Vireux le valerand* & de *Rienne* quorum primum est feudum medietate ratione castri Orcymontensis, & alterum immediatum, pro ut constat ex litteris investiturarum ab annis 1598, 1600, & aliis.
 Castrum, oppidum & præpositura de *Orcymont* quod Joannes ejus loci Dominus recepit in feudum a Luxemburgensi Comite An. 1260, ut tale consecutive recognitum fuit annis 1545, 1598, 1600, 1673, & aliis cum pagis 21.
 Item Dominiis Inclusis 10.
 Dominia de *Chassepiere, Riviere, Fonteneille, St. Cecile, Leche, le Mesnil, Cugnon, les Bertris, Ban d' Orjeo, Baillamont, Marpon, Dochamps, Herbeumont, Ban de Hautailles, Ban de Muffon*
 Castrum & oppidum de *Rochefort* feudum recognitum pro parte a Comitibus postmodum Ducibus Luxemburgensibus. Prout ferunt Litteræ investiturarum de annis 1283. 1545. 1598. 1599. 1600. & 1673. pro qua parte hic notantur pagi 4.
 Oppidum, Suburbium & præpositura de *Verton* annexum ducatu Luxemburgensi ab annis 340. cum omni Jure Superioritatis, quæ omnia Gallia sibi vindicat sub prætextu feudalitatis Virodunensis Episcopatus, sicut alios Vasallos ex capite pacis Monasteriensi cum pagis 17
 Præpositura de *S. Mard* cum pago ejusdem nominis sub eodem prætextu, constat pagis præterea 16
 Item castra & Dominia de *la thour Montquintin, Lavaux, Gommerij, Basaille, Ruetze, Villers le Loux, Sineux & S. Remij*, quæ partim à tempore Immemoriali jam recognoscunt superioritatem Ducatus Luxemburgensis, partim ei acceperunt ex transactione cum Ducibus Lotharingæ & Barri 15. Julij 1602. sub his numerantur pagi 15
 Oppidum & Comitatus *Chiniacensis*, incorporatus Ducatu Luxemburgensi An. 1364. ei remansit cum omni Jure Superioritatis, nisi quod de parte aliquâ quam in eadem prætendebat Dux Barrensis, Ducibus Luxemburgensibus vicissim alia sibi in eodem Ducatu deberi probantibus An. 1602. transactum fuerit. Ab hoc dependent pagi & Villæ 27
 Castrum & Oppidum cum Dominio Neocastrensi sive *Neuchateau*, feudum indubitatum Ducatus Luxemburgensis, cum pertinentijs tam pagis, Villis, quam ferri Officinis Metallarijs 41
 Oppidum & præpositura *Bastoniensis* pertinet ad Comites Luxemburgenses sub titulo Comitatus Ardennæ jam An. 963. Ab his obtigit Jure Successionis Sux Regiæ Majestati Catholicæ cum omni Superioritate, patet ex actis de annis 1225. 1229. &c. cum pagis 145
 Oppidum & præpositura de *Marche* à multis sæculis à Comitibus & Ducibus Luxemburgensibus possessum cum pleno Dominio & Superioritate, patet ex actis de annis 1247. 1304. 1306. & 1314. complectitur pagos 19
 Oppidum castrum & præpositura de *Durbuij* cum pleno Dominio, Jurisdictione & Superioritate

perioritate pertinuit à multis sæculis ad Comites, & postmodum Duces Luxemburgenses, constat ex actis pro Marchiensi præpositurâ allegatis, comprehendit pagos	44.
Comitatus Rupensis sive <i>la Roche</i> avitum Comitum & Ducum Luxemburgensium patrimonium pro ut videre est ab Anno 1214, constat oppido castro & pagis	51.
Comitatus <i>Salmensis</i> originem trahit a primis Comitibus Luxemburgensibus, ab illis receptus in feudum An. 1240, 1248, 1306, 1343, 1551. Comitatus hic consistit in oppido, castro & pagis	32
Castrum & Dominium de <i>Mirwart</i> , avitum Comitum Luxemburgensium patrimonium, apparet ex litteris de An. 1311. & alijs usque in hodiernum diem cum pagis & Villis	26
Castrum & Dominium de <i>Focant</i> Domanium perantiquum eorundem Ducum, apparet ex computis de An. 1311.	
Comitatus de <i>Montagnis</i> feudum Luxemburgense probatur per titulos recognitionis ab An. 1545. 1598. 1600. 1673. comprehendit pagos & Villas	13
Dominium de <i>Rachamp</i> , apparet de ejus dependentiâ per actum de An. 1384.	
Dominium d' <i>Aÿvaille</i> patrimonium Comitum Luxemburgensium, prout clare indicat actus donationis de An. 1346. habet pagos	8
Dominium de <i>Harzee</i> recognitum fuit in feudum An. 1302. habet pagos	3
Dominium <i>du Chesne</i> ejus possessor præstitit fidem Imperatori Venceslao An. 1398. constat pagis	3
Castrum & Dominium de <i>Vitrij</i> , de ejus dependentiâ constat per actum donationis de An. 1281. & 1311. cum pagis	4
Amplum territorium & Dominium <i>S. Huberti</i> , de cujus dependentiâ & subjectione apparet ex diversis litteris de An. 1343, 1451, 1468, 1551, & alijs.	
Feuda provincie Luxemburgensium sunt.	
Districtus vulgo <i>Ban d' Eclairsin</i> .	
<i>Redu.</i>	
<i>Esclaye.</i>	
Castrum & Dominium <i>Beurain</i> cum pagis	3.
<i>Han sur lesse</i> cum pagis	3.
Castrum Oppidum & Dominium de <i>Houffalise</i> cum pagis	22.
<i>Humain.</i>	
Castrum & Dominium <i>Vaha</i> cum pagis	2.
Castrum & Dominium de <i>Dauerdis</i> .	
Castrum & Dominium d' <i>Essey</i> cum pagis	6.
Castrum & Dominium de <i>Jemeppe</i> .	
Dominium d' <i>Ochain</i> cum castro & pagis	6.
Dominium & castrum de <i>Rolet</i> cum pagis	6.
Dominium & Castrum de <i>Monjardin</i> .	
Castrum & Dominium de <i>Taigny</i> cum pagis	6.
Castrum & Dominium <i>Laval</i>	2.
Castrum & Dominium de <i>Villers devant Orval</i> .	
Dominium de <i>Porchereffe</i> cum castro <i>Vance</i> cum pagis	2.
Castrum & Dominium de <i>Bonlogne</i> cum pagis	5.
Dominium de <i>Nassoigne</i> .	
Castrum & Dominium de <i>Grune</i> .	

Hæc

Hæc fere sunt quæ Ducatum Luxemburgensem constituunt & vel reunionum ut vocant, à Tribunali Metensi adjudicatarum Titulo, vel sub prætextu Juris feudalis ratione Trium Episcopatum Instrumento Pacis Monasteriensis cessorum (de quibus communis cum Imperii querelis est causa) violenter fuere occupata, & adhuc detinentur; Solâ relictâ Metropoli cum triginta circiter tam pagis quam Villis ad præposituram Luxemburgensem spectantibus hinc inde dispersis, & ob Interiacentia à Gallis usurpata Loca, Gallicis quotidianis vexationibus adeo obnoxiiis, ut Gallicæ potius quam Regiæ Hispanicæ potestati subditi cenferi debeant.

Et quamvis ex parte Galliæ sæpius tam ore tenus quam scripto in Aulâ Gallicâ, non secus atque à Legato Gallico in Aulâ Magnæ Britanniæ speciali jussu declaratum fuerit, Regiam Christianissimam Majestatem, in Civitatem Luxemburgensem nihil prorsus prætere; Non tamen inde minus cum illâ non aliter quam apertissimo Bello infensissime actum fuit, quemadmodum Memorialibus à D. Legato Burgundico in publicis S. R. Imperii Comitibus 19. Septemb. 1681. 2. Januarii, & 24. Martii 1682. demonstratum; Quantumque toti Imperio interfit, ut illa summâ injuriâ usurpata restituatur provincia, salvaque maneat metropolis evidentissimis rationibus ab oculis positum est, quas nemo non agnoscat cui adhuc pro servandâ libertate aliquid sollicitudinis superest. Quantum damni Regiæ Catholicæ Majestati, ceu Duci Luxemburgensi, ex illâ usurpatione obveniat, cum omnibus domanialibus redditibus, Censibus, vectigalibus, militum sustentationibus, Collectis aliisque Juribus quæ Domino supremo competunt, nullo prorsus Jure privata sit, Hoc speciali Calculo suo loco & tempore poterit enucleari.

Quæ etiam subditi ita oppressi perpeffi sunt, atque in dies patiuntur, ea sunt ut neminem etiam à compassione alienum, non ad Commiserationem atque horrorem permoveant. Merito omnibus exemplo futura quidnam, valeat tempore pacis quidlibet audendi impunis Libertas.

In Ducatu Lothier sive Brabantia, & Limburgi.



Etiam usurpationes illæ, usq; ad Ducatum Lothariensem, vulgò Lothier, & Brabantia se se extenderunt, cum enim præfecto & Incolis pagi *Aijseaux & Abbatia Ognies* ab officialibus Galliæ, scripto mandatum fuit ut Regis Christianissimi se subditos faterentur, etiam reluctantes ad id coacti fuere, quamvis se non Comitatus Namurcensis, (sicut inferius patebit ubi de illo fiet mentio) sed Lothieri vel Brabantia subditos esse demonstrarent.

Deinde etiam in loco *Honij*, propè *Esseneux* in Ducatu Limburgensi Gallicæ violentiæ pacis tempore indicia apparere, ubi solita Regi Hispanicæ, utpote Limburgi Duci, vectigalia tribuebantur siquidem turbando commercio, eorum Collectores, violenter ejecti sunt.

In Provinciâ sive Comitatu Flandriæ.

Cum omnia ob solemnem adeò Instrumento pacis Neomagensis datam utrinque fidem, pacata fore in Comitatu Flandriæ sperabantur, sequentia ex parte Galliæ fuere occupata.

Et primo quidem Oppidum *Zoo* immediatè Regiæ Hispanicæ Majest: tanquam Comiti Flandriæ, omni jurisdictione subjectum.

Oppi-

Oppidum *Roulers*, quod partem Domini de Wynendael constituit in territorio libero sive *Franco Brugensi* ut vocant situm.

Oppidum *Renaix* cum multis pagis, toto territorio a Rege velut Comite, Flandriæ dependet, a Guidone Flandriæ Comite anno 1280. titulo emptionis acquisitum, & filio suo in feudum concessum.

Deinde ex parte Regis Christiani: prætenditur nobilissimum territorium quod in ipso Flandriæ meditullio Gandavum undique ambit, quod *Vieilbourg* nominant, cum dependentiis & annexis.

Comitatus Civitas & Castellania *Alost*, cum appertinentiis dependentiis & annexis.

Civitas Gerardimontana sive *Grammont*.

Oppidum *Nienhoue*, dominium *Rudershoue*, Regio *Beuereu*, districtus *Assenede*, districtus *Boucchaut*, *Weert*, *Heert-Brugge*, *Opdorp*, *Mortsele*, *St. Amand* Regio de *Bornhem*, & territorium *Flobeck & Lessnes*.

Quæ omnia si Gallicæ cederent potestati, potioem totius nobilissimi Comitatus Flandriæ tractum, non tantum absorberent, sed & quod reliquum est, eò redigeretur, ut ab unâ parte vel urbe ad alteram, non nisi per præensum Gallicum territorium tam terrâ quam aquâ nullus amplius nisi ad libitum Gallia daretur accessus.

Etiâ occupata fuit Abbatia de *Dunes* cum dependentiis & districtu ab officialibus Gallicis ad libitum extensis.

Sylva de *Nieppe & Oudenhulst*, ex quibus magna pecuniæ summa Regio ærario accedebat.

Reperitur etiâ ab iis met officialibus pars Castellaniæ *Audernadensis* cui ex parte Gallia tractatu pacis renunciatum fuit.

Cumque ficto prætextu aliquot in Ducatu Luxemburgensi damnum illatum fuisse, causatum esset, cum tamen illud met ab ipsis Gallis accidisse constaret, irruere quam primum in Flandriæ Provinciam Gallicæ Copiæ initio Decembris 1681. ibidemque stabiliendæ Pacis titulo eâ crudelitate se gesserunt, quâ infestissimo bello nihil acerbius perpetratum est, expilati nimirum fuere plures pagi in Castellaniâ *Contracensi*. Abacti plusquam sexcenti equi, atque plura pecorum armenta. Abducti in captivitatem Dominiorum præfecti, consules, & Scabini in *Harlebecque*, *Thielt*, & *Deynse*. Præpositus ecclesiastico caractere insignitus in *Harlebecque*. D. Baro *Winghene*, plures parochi, atque nobiles, omnes male excepti, sædissimis carceribus in Oppido *Menin* velut flagitiosissimi mancipati: declaratumque fuit in congressu *Contracensi* præter omnia hæc damna illata, nullam ipsis superfuturam spem libertatis, nisi exsolutis prius *sexaginta millibus florenorum & triginta tribus millibus imperialium* pro navatæ hujus tam pacificæ operæ præmio, quam primum exsolvendis, nisi deteriora longè nobiliores in captivitatem abducendo, in Flandriâ experiri mallent.

Deinde etiâ pace jam proclamatâ quænam Flandriæ damna intulerint vix computari potest, cum subditos tempore duorum mensium cum dimidio, post Pacem publicatam, in singulas cohortes octingentos florenos pro novo milite colligendo persolvere coegerint, quæ tamen pecuniæ postea ærario gallico illatæ fuerunt, & computatis illis, pecuniæ summam illâ occasione extortam quotidie ad *quingenta millia florenorum*, & spacio duorum mensium cum dimidio ad aliquot *milliones* asseendisse compertum fuit.

Præter multa alia damna quæ variis in locis, continuo vexandi pruritu causata sunt, & vix ullo calculo proferri possunt.

C

In

Oppi-

In Provincia five Comitatu Hannoniæ.

PRimo oppidum Cheure quod immediatè a Rege velut Comite Hannoniæ ratione supremæ curiæ Montensis dependet, quodque aliàs ex parte Galliz a Castellania Athenfi dependere prætendebatur, cum Civitas Athenfis in illius ante pacem initam potestate fuerat, & sic eâ restituta nihil illi juris superesset, tamen mense Decembri 1679. a Comite de Monbron equitatu atque peditatu comitato, occupatum fuit.

Paucò deinde temporis intervallo etiam in eadem Castellaniâ vigore instrumenti pacis Neomagensis art: vi. restituendâ, etiam restitutâ, occupati fuerunt pagi viginti qui territoria libera vocantur *terres franches*.

Oppidum Fontaine l' Evesque quod immediate a Comite Hannoniæ dependere notorium est.

Deinde etiam usurpatum est oppidum *d' Estrun*, pagi *Feron*, *Rovillii*, & *Rocque*, cum aliis villis, ac si hæc sub prætextu quod à præpositurâ Malbodiensi five Maubege dependerent, cum tamen partem Principatus Chimacensis five Chymaij constituent, qui immediate Comiti Hannoniæ in Curiâ suâ Montensi subditus est.

Sexta Februarii 1680. etiam pagis *Cerfontaine*, *Tirimon*, *Bersilli*, *le val*, & *Andrelu*, ex parte Galliz imperatum fuit, ut nullum alium Regem quam Christianissimum agnoscendo eidem præstito juramento se subditos faterentur.

Cumque Pace in itâ cuius liberum forè bonorum usum crederetur, obductis in Civitate Condé aquarum retinaculis agros & prata pagorum *Bernissart*, *Harchies*, *Preau*, *Tiuvette*, *Hensij*, *Neuf-ville*, *Sartij*, & maximam partem *Pommerevil*, sub Regiâ Hispanicâ potestate territoriali sitorum aquis immerferunt, Anno 1681. 5. Aprilis pagos *Vaulx*, *Fontenoy*, *Veron*, *Maubraij*, *Bras mesnil*, & *Bourgeon*, etiam officiales Gallici occuparunt, quamvis in congressu habito *In sulis* post pacem Aquigranensem, ipsi Ministri Gallici illos à Castellaniâ Athenfi dependere decrevissent, quæ cum vigore articuli VI. Pacis Neomagensis restitutâ fuisset, possessio eorum usque ad dictum diem usurpationis libera permanerat.

Et cum Comiti de Bussij Provinciam Luxemburgensem vi armatâ infestanti non ubique ad nutum locorum pateret introitus, immixtæ fuerunt ad vindictam, galliæ copiæ, quæ cum Provinciam Hannoniæ devastare minitarentur, cum illis de submittendis & in ipsis Galliz ditionibus ingenti pretio solvendis pabulis convenire necesse fuit, unde deteriora averterentur.

Deinde mense Octobri 1681. communitates pagorum *Long - Pret* & *Beutonville* ad prestandum Regi Christianis: Juramentum coegerunt, quamvis notorie à comitatu Bellimontano five *Beaumont* dependeant.

Etiam occuparunt Oppida ad Mosam sita *Fumay*, & *Revin*, quatenus ab eodem comitatu dependent, varia etiam nemora & inter alia illud quod *Marual* nominant, ingentis alias annui proventus Regio Gallico ærario addicta fuerunt.

Deinde postquam Regi Hispaniæ Vectigalia in *Antoin* solvere impedivissent Gallici officiales Locum ipsum occuparunt.

Etiam Abbatiz de *Aumont* & aliz magnis vexationibus ad agnoscendum Galliz Dominium coactæ sunt.

Et hæc præ multis alijs dicta sint, quorum peculiaris enumeratio alibi typis edita reperitur.

In Provinciâ seu Comitatu Namurcensi in sequentibus, Pacis Tractatibus contraventum est.

PRimo 30. Martii 1680. coacti fuerunt præstare homagium incolæ pagorum *Maisnil*, *St. Blaise*, *Hargnies*, & ambo *Bourseignes*, sub prætextu, ac si illi a castro &

& dominio Agim
diretè, neq; indire
Etiam eod
5. Aprilis 1680. p
manu missis in M
vi majori ad hoc
Tertia & q
aliàs St. Gerard
altero vero in
proposuisse
Belgio, illius
Ex præ
nes, Aco, J
Romée &
quo specie
prophetis
tum comp
Eodem
Sicute
libus 3. Aug
juramentum
Eodem
castro, Sori
postea in N
Deinde
cum villis C
eodem ann
men omnia
In præectu
coacti sunt
Henemont,
quam equit
coerunt, do
stare coacti
etiam fueru
Vigefi
memoratis
Aysaux, le
aliisq; Regi
Initio
Namurcu
Eade
decima qu
supremu
idem in y
liot, Goe
nis in di
Id
Godines

& dominio *Agimont* dependerent, quod tamen nullibi in instrumento pacis neq; directè, neq; indirectè cessum fuisse constat.

Etiam eodem modo coacti fuerunt se subditos profiteri mandato imposito 5. Aprilis 1680. pagi *Waulsors* cum Abbatia *Hastiers*, & *Ermeton*, atq; ad hoc militari manu missis in Monasterium primo triginta, deinde centum & sedecim militibus vi majori ad hoc adacti sunt.

Tertia & quarta Aprilis 1683. eodem modo coacti fuerunt incolæ pagi *Broignes* aliàs *St. Gerardi*, cum officialis gallicus primo die quinquaginta equites eo misisset, altero vero in duas cohortes illis cogendis secum adduxisset, illisque persuadendis proposuisset occupationis causam in eo consistere, quod *Pipinus Rex Galliarum* olim cum Belgio, illius pagi etiam dominus fuisset.

Ex præfecturâ *Bouvignes* 6. Julii 1681. etiam subacti sunt pagi *Biesme*, *Gerpès*, *Acos*, *Joncret*, *Villers la poterie*, *Sart a la Stache*, *Oréz*, *Gaugnies*, *Bois de Villers*, *Romrée* & *Furnaut*. Item villicus in villâ *Dumanoir* sitâ in tylvâ de *Marlaigne* & quo speciosiori prætextu illa usurpatio fundari videretur, aliqua misellis rusticis ex prophetis allegata, fuere proposita, quibus illos ad præstandum fidelitatis juramentum compellerent.

Eodem modo pagi *Lesves* & *Arbre*, qui etiam partè istius præfecturæ constituunt.

Sicut etiam pagi *Rosée*, *Flavion*, & *Serville* deinde ejectionis Regis Hispaniarum officialibus 3. Augusti 1681. qui in pago *Onhaye* solitum vectigal colligebant, ad præstandum juramentum coacti sunt.

Eodem modo actum est in Præfecturâ *Poiluache* in pagis *Houx*, *Spontin*, cum castro, *Sorine* apud *Dionantum*, *Pondrosme*, *Haibes*, in Martio & Aprili 1680. & postea in Novembri 1681. in districtu *Leignon* qui ab eadem præfecturâ dependet.

Deinde 3. Augusti 1681. cum pagis *Myauoye*, *Antheé*, *Morville*, & *Fontaine*, cum villis *Chestreuin*, *Melin*, *Wespin*, & *Metz*, actum est, postquam mense Julii eodem anno incolas pagorum *Soumiers*, & *Riviere* eodem modo coegissent; quæ tamen omnia partem Dominii *Bouvignes* nullatenus celsi constituunt.

In præfecturâ de *Montaigle* mense Octobri ad juramentum subjectionis præstandum coacti sunt pagi *Falaen*, *Anvoye*, & *Rouillon*, mense Novembri *Salet*, *Corbaj*, & *Henemont*, etiam missi fuerunt in Monasterium de *Moulin* sexaginta tam pedites quam equites, qui ibi ad libitum mense Julio illius anni omnem insolentiam exercuerunt, donec etiam Abbas & Conventus Regi Christianissimo Juramentum præstare coacti sunt. Decimæ quæ in districtu *Bioulx* ad Regium Dominium spectant, etiam fuerunt usurpatæ.

Vigesima nona Septembris 1681. sub gravi poenâ imperatum fuit pagis supra memoratis, deinde etiam aliis veluti *Profondeville*, *Thij le Chasteaux* & dependentiis, *Ayseaux*, *le Roux*, *Ognies cum Abbatia*, ut nihil deinceps receptori Regio Namurci, aliisq; Regiis officialibus neq; in censibus, collectis redditibus aliisq; rebus persolverent.

Initio mensis Octobris ex parte Galliarum in loco *Wepion* omnis rei frumentariæ Namurcum versus investio prohibita.

Eadem prohibitio vigesima Sept. 1681. scripto mandato affixa fuit in *Floreffe* decima quinta Novembris 1681. habitantibus in pago *Juoir* imperatum fuit, ne aliū supremum Dominum vel Regem, quam Regem Christianissimum agnoscerent; idem in junctum vigesima sexta ejusdem pagis *Chaltin*, *Emptines*, *Spontin*, *Ohey*, *Halliot*, *Goesne*, *Hodomont*, *Walay*, *Wauremont* & *Affes*, deinde incolis in *Corier* & *Scabinnis* in districtu sive Mayeriâ in *Rendarche*, qui multos pagos comprehendit.

Idem prohibitum fuit habitantibus pagorum *Asche* in *Rendarche*, *Eurehailles*, *Godines*, *Gesnes*, & iterum pago supradicto *Juoir* & *Champal*.

idem

Idem in pagis districtus sive Mayeriæ de *Houx* nimirum *Lisoigne, Auaigne, Pournode, Eurchailes, Juoir* supra memoratis & *Godines*, in villis de *Lois, Fagnoule, Champal, Venate, Futvoye, Frappecul, Fresnes & Talsier*, quæ omnia spectant ad præfecturam *Poiluache* cis Mosam, & deinde in mense Decemb. 1681. Castro *Poiluache* præsidium Gallicum impositum fuit, quod sumptibus subditorum Namurcensium huc usque sustentatur, simile mandatum prohibitorium indicatum fuit *Abbatia Soliers*, cum pagis *Soliers & Abin*.

Deinde varia mandata reiterata fuerunt quibus prohibitiones illæ repetebantur, & graviores pœnæ patibuli vel damnationis ad triremes contra transgressores continebantur, etiam habitantibus inter *Sambram & Mosam* inhibebatur ne aliam jurisdictionem abdicata prorsus Namurcensi quam Gallicam agnoscerent.

Tandem Regi Christianissimo addicti & violenter à Gallicis officialibus ablati fuerunt fructus & prætia quæ colliguntur in Ærarium Namurcense ex nemoribus vastissimis ingenti commodo in Sylvis de *Biert, Biesme, Marlaigne, Foy, Marly, Vieux, Fournaux, Halloy, Weillon, Hez, Brunieres, Heronart, Libiunes, Hanroez, Loche*, & alijs quibus omnibus cæterisque redditibus, censibus collectis, alijsque impositionibus ab illo tempore incredibili dispendio, quod ad multa centena millia iusto calculo computari potest, ipso tempore Pacis frustratur Regis ærarium, ita ut omnibus tanta injuria violenter in Comitatu isto usurpatis quorum multa alia extra compendium recenseri possent, vix aliquid præter ipsam Metropolim excitationis continuis ad libitum altercationibus non diversis apertissimo bello mediis infestatur.

Inter multa alia contraventionum vestigia, non prætereundum est quod contra art: 13. Tractatus Pacis perpetratum fuit. Convenerat quippe inter utramque coronam, ut *Carolomontium Charlemont* Regi Christianissimo cederet, nisi requisitis ibidem expressis intra annum à die ratificationis Pacis, quæ inter Cæsarem, Imperium, & Regem Christianissimum iniretur, *Dionantum* illius Loco Galliarum cedi posset. Cumque ex parte Hispaniæ omnibus officiis eum in finem obtinendo *Dionanto* apud Episcopum Principem *Leodiensem* laboraretur, duobus ante elapsum terminum mensibus, missus est ex parte Galliarum ad Generalem Belgii, vel Circuli Burgundici Provinciarum Governatorem, postulans, ut *Carolomontio* quam primum præfidiarios educeret, nisi mallet ut quod reliquum erat Circuli Burgundici Provinciarum à quatuor partibus irruentibus Gallicis copiis devastaretur. Vix propugnaculum illud tanti momenti cessum, cum subito castrum *agimont* sub dependentiæ usitato titulo vi armata occupatum fuit, atque inde pagi magno numero. Cum tamen nihil apertius esset *Carolomontium* dependentiis ullis omnino caruisse, neque illarum Tractatu Pacis ullam prorsus fieri mentionem, non tamen inde *Dionantum* Episcopo Principi *Leodiensi* redditum fuit.

Compendiosa hæc tantum est narratio eorum, quæ ex continuâ usque ad Initium anni 1682. contra apertissimas Pacis Leges actorum serie recensere visum est. Et quamvis illa, summâ injuriâ perpetrari, manifestis & scripto editis rationibus, Commissariis Gallicis ad omnia amicabile compositione dirimenda negotia deputatis, & à Mense Decembri 1679. utriusque Coronæ nomine congregatis, ad Litteram demonstratum fuerit, non tamen id alio fructu quam congressu *Francofurtensi* actum est, nihilque aliud responsi post tot tergiversationes causæ æquitas obtinuit, quam ut vel petitioni, sive Gallicis potius imperatis, obtemperandum, aut deteriora expectanda, aut quod remedium querelarum ratione feudorum *Verdunensium* ortarum alibi querendum, aut quæ injuriæ petebantur, æquipollenti aliquo ad Gallicam optionem sine ullâ excusatione,

& ad nutum retinenda essent. Et hinc omnia despotica illa Imperia quæ, Gallia Tractatus Pacis vocat, dum sola dicere legem, ambit.

